

excluditur, quia non poterit habere effectum moralem liberæ actionis, ut a nobis ostensum est.

18. *Quomodo intelligenda hæc Pauli verba:* Quicumque Spiritu Dei aguntur, etc. — *Per verbum* aguntur significatur Spiritus Sancti motio. — Et juxta hæc facile intelliguntur verba Pauli: *Quicumque Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei*, quæ sine dubio non fuerunt ab ipso scripta propter physicam prædeterminationem, sed propter ductum et regimen Spiritus Sancti: nullus enim antiquorum Patrum illum locum aliter interpretatus est. Sed plures eorum simpliciter exponunt, agi Spiritu Dei, nihil aliud esse quam *vitam spiritualiter instituere*, ut ibi ait Theodoretus, vel *sancte et spiritualiter vivere*, ut ait Cyprianus, lib. de Zelo et livore, versus finem. Quia vero nemo spiritualiter vivit, nisi qui motionem Spiritus Sancti sequitur, ideo non solum dixit Paulus: Qui sancte vel secundum spiritum vivunt, sed: Qui aguntur *spiritu Dei*: *Hoc est* (ait Theophylact.) *gubernantur, reguntur, seu a gubernatore quopiam*. Iræneus autem, lib. 5, c. 10, ponit verbum *ducuntur* pro *aguntur*. Et idem habetur in versione quam interpretatur Chrysostomus, homil. 14, et ipse similiter exponit: *Ostendit quod sic vult illum* (utique spiritum) *vite nostre dominum esse, ut gubernatorem navigii, et aurigam, et infra: Quamvis baptisma acceperis, nisi Spiritu postea ducaris, vitam perdidisti*. Nihil ergo aliud per verbum *aguntur* significatur, nisi Spiritus Sancti motio et directio per divinas inspirationes et motiones, quas nos sequi oportet; et quando illas sequimur, dicimur agi a Spiritu Sancto, non quia ab illis prædeterminemur, sed quia ab illis vehementer inclinamur. Et eodem modo D. Thomas ibi verbum *agendi* per verbum *regendi* explicavit; addit vero positum esse ad indicandum *filios Dei peculiari modo Spiritus Sancti instinctu gubernari*. Et Cajetanus ibidem dixit illud verbum positum esse a Paulo, *ad insinuandam promptissimam obedientiam qua filii Dei Spiritus Sancti inspirationibus obsequi debent*. Unde etiam recte Adam verbum *agendi* per verbum *trahendi* declaravit.

19. Hoc autem non esse extra verbi *agendi* proprietatem et usum manifestum est. Nam idem Paulus ad Galat. 5 ait: *Si Spiritu ducimini, non estis sub lege*, ubi in græco est idem verbum. Et similiter 1 Corinth. 12, ubi Paulus ad Christianos ex gentibus conversos ait: *Scitis quia cum gentes essetis, ad simulacra muta prout ducebamini euntes, græce habetur: Prout agebamini, et ita legit Origen., lib. 7 in*

ad Roman., in principio. Unde colligit quod *etiam gentes ad idola aguntur aliquo spiritu*, quem esse malum spiritum dubium non est, a quo tamen gentes non physice prædeterminabantur, sed inducebantur. Et quando homo aliqua passione ducitur, ab illa agi dicitur. Unde Lactantius, lib. 6, cap. 19: *Tres, inquit, sunt affectus qui homines in omnia facinora præcipites agunt, ira, cupiditas, libido*, quæ certe ad consensum voluntatem non physice prædeterminant, sed per quamdam sympathiam movent et attrahunt moraliter. Et ad hominem probare possumus non loqui Paulum de physica prædeterminatione; alioqui quoties voluntas nostra consentit, juxta illorum Theologorum sententiam, dicenda esset spiritu divino agi, quia ab illo prædeterminatur physice. Quomodo ergo verum est omnes qui spiritu Dei aguntur esse filios Dei? Nam omnes qui per voluntatem suam agunt, saltem quatenus agunt, aguntur spiritu Dei; ergo etiam qui aguntur, cum fornicari vel furari volunt, erunt filii Dei. Si ergo hoc non potest audiri, etiam in eorum sententia dici non potest homines dici agi a Spiritu Sancto, quia physice prædeterminantur ab illo; aguntur ergo moraliter, quia moventur et inclinantur.

20. *Verbum aguntur qua ratione exponat Augustinus.* — Neque aliud sensit Augustinus etiam in illo loco qui ponderatur; non enim sine causa addidit particulam *illam via*, ut in citato prolegomeno animadverti, ubi alia etiam loca Augustini adjunxi. Quibus addi potest optimus Augustini locus in Enchirid., cap. 64, ubi de justis sic inquit: *Quamvis de illis sit veraciter dictum: Quotquot spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei, sic tamen spiritu Dei excitantur, et tanquam filii Dei proficiunt ad Deum, ut etiam spiritu suo quibusdam motibus humanis deficiant*. Ubi aperte verbum *aguntur* exponit per verbum *excitantur*, de quo manifestum est prædeterminationem non includere neque indicare. In sermone vero 43 de Verbis Domin., cap. 7, de adjutorio Spiritus illa verba exponit, dicens: *Agis si ageris, et bene agis si a bono ageris*; et infra: *Si spiritu Dei aguntur, pugnant, quia magnum habent adjutorem*. Itaque ex illo loco ad summum habemus necessitatem gratiæ excitantis et adjutantis, etiam ex sententia Augustini; quia vero hæc est prima causa nostrarum piarum actionum, et quia potenter nos inclinatur, et inclinabiliter gubernatur, quando vult, ideo dixit Augustinus hoc regimen Spiritus Sancti per verbum *agendi* significari, quasi nos *via* ali-

quid agamus. Quia vero non ita agimur quin moraliter agamus, ideo non prædeterminamur, nec in eo modo agimur, ut ipsum *agi* a libertate et actione nostra non pendeat. Unde Theophyl. ibi recte dixit: *Agis a spiritu necessarium nobis esse per omnem vitam, id vero a nobis tanquam nostrum exigi, quia in manu nostra est agi et non agi quoad consentiendi effectum, etiam postquam excitati sumus*.

21. *Admonitio ad studiosum veritatis indagatorem.* — Quod ergo ad hunc locum argumentandi ex Scripturis pertinet, solum superest studiosum lectorem ac veritatis diligentem indagatorem admonere, ut testimonia Scripturæ pro utraque sententia adducta simul consideret et inter se conferat; nam ex dictis ad minimum colliget ex vi Scripturæ prædeterminationem physicam non esse necessariam, ac proinde hinc sumi saltem argumentum negativum ex Scriptura, nimirum, talem physicam prædeterminationem non habere in Scriptura fundamentum. Quod argumentum est in hac materia magni momenti, ut in superioribus dixi; tum quia Patres et Concilia in hac materia non docent, nisi quæ ex Scripturis confirmari possunt, ut in Augustino in libris omnibus contra Pelagianos maxime observari potest; tum etiam quia res adeo difficilis intellectu, ut vix possit mente concipi, nedum ratione suaderi, cum per traditionem non habeatur, si in Scripturis non invenitur revelata, non habet unde fide digna fieri possit. Ex prioribus vero testimoniis videtur ulterius probabilissime, imo efficaciter ostendi, ea quæ de aliis dogmatibus liberi arbitrii et sufficientis auxilii Scriptura docet, non posse cum illo dogmate de physica prædeterminatione conciliari. Unde cum utraque sententia illationibus ex Scriptura nitatur, quæ contra nos propositæ sunt ita solvuntur, ut non solum quiescat intellectus, verum etiam directe vincatur non recte tales illationes aut inductiones fieri. At vero quæ a nobis in contrarium objectæ sunt, non solum non improbantur, verum etiam nec aliquid ad eas respondetur, quod intellectui satisficiat.

CAPUT XXXIII.

EX CAPITE QUINTO ET CANONE QUARTO SESSIONIS
6 CONCILII TRIDENTINI, VERITAS CONFIRMATUR, ET QUÆDAM EVASIO REFELLITUR.

1. *Scopus et partes capituli.* — Quamvis ante hoc Concilium alia nonnulla doctrinam de gratia nobis tradiderint, quia ex generalibus et ap-

probatis hoc solum fuse materiam hanc declaravit ac definivit, ac fere in summam redegit quæ Pontifices et antiquiora Concilia tradiderunt, ideo post Scripturæ testimonia, hujus Concilii auctoritatem expendendam proponimus. De quo duo quæ de Scriptura diximus ostendere conabimur. Unum est, Concilium Tridentinum pro nobis stare, quia multa quæ docet non videntur cum efficacia auxilii ex se prædeterminantis componi; aliud est, nihil esse in hoc Concilio quod efficacitati vocationis congruæ aliqua ex parte repugnare videatur.

2. *Probat prior pars.* — Priorem partem præcipue probamus ex sess. 6, cap. 5, in prioribus ejus verbis, quæ talia sunt: *Declarat præterea, scilicet, sancta Synodus, ipsius justificationis exordium in adultis a Dei per Christum Jesum præveniente gratia sumendum esse, hoc est, ab ejus vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur, ut qui per peccata a Deo aversi erant, per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ libere assentiendo et cooperando disponantur; ita ut, tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam et abjicere potest, neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate posset*. Quibus verbis respondet can. 4, cujus hæc sunt verba: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium, a Deo motum et excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac præparet, neque posse dissentire, si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere, anathema sit*.

3. *Colligitur argumentum.* — Ex his igitur verbis hoc argumentum colligimus: Concilium docet vocationem illam quam homo recipere potest, si velit, quamque interdum recipit, talem esse ut possit illi resistere, si velit; ergo talis vocatio, licet efficax sit, non prædeterminat physicam voluntatem. Vel aliter: docet Concilium potestatem illam resistendi, aut dissentendi esse necessariam, ut homo libere operetur; ergo docet vocationem efficacem semper debere esse talem ut, licet habeat effectum, possit homo illi resistere, si velit; ergo docet vocationem efficacem non esse prædeterminantem, nam auxilio prædeterminanti physice nemo resistere potest, quia de ratione illius est ut, determinando ad unum, tollat potestatem agendi oppositum, vel non agendi illud

stante tali motione. Atque ita hoc testimonio convincuntur omnes nostræ sententiæ auctores, et convictus etiam fuit Joannes Vincentius apud Ledesm., art. 10, in fine. Ab aliis autem idem Concilii testimonium variis modis eluditur, quos in aliis libris tetigi et refutavi; idemque postea exactissime præstitit; Franciscus Diotalevius, in suo primo opusculo theologico; sed non possumus illos in præsentem opere omittere, ne maximum nostræ sententiæ fundamentum, quod ex hoc Concilio sumitur, tanquam minus firmum et solidum præterire videamur.

4. *Respondetur primo.* — *Probatur assumptum.* — *Responsio aliorum.* — Prima responsio est, falsum esse primum antecedens a nobis assumptum, quia Concilium, ut aiunt, loquitur de sola gratia excitanti per Spiritus Sancti illuminationem et inspirationem, quæ tantum est sufficiens, et de hac sola dicit Concilium posse hominem illi resistere seu dissentire, non autem dicit posse hominem resistere efficaci auxilio. Assumptum probatur ex verbis Concilii; nam in cap. 5 solum dixerat præveniri hominem per Spiritus Sancti illuminationem et inspirationem, ut per illam se disponat libere agendo, et subdit: *Quippe qui illam abjicere potest, illam utique inspirationem.* Unde, quando in can. 4 dicit, *liberum arbitrium a Deo motum et excitatum, posse dissentire, si velit,* solum loquitur de arbitrio moto et excitato, modo tradito in c. 5, videlicet, *per Spiritus Sancti illuminationem et inspirationem.* Unde quidam modernus scriptor ausus est dicere alienum esse a mente Concilii Tridentini dicere posse hominem resistere auxilio efficaci, quia Concilium nunquam dixit gratiæ adjuvanti aut efficaci resisti posse, sed excitanti et vocanti duntaxat. Alius ponderat dixisse Concilium *posse dissentire, si velit,* quia in hoc videtur supponere nondum velle. Sed hoc valde frivolum est, nam sensus est liberum arbitrium, motum et excitatum, posse dissentire, si velit, quia, licet interdum consentiat, ex vi motionis posset dissentire, vel prius natura quam consentiat, vel in posterum, si jam nunc consentit.

5. *Retorquentur.* — Ut ergo ostendam hanc responsionem non satisfacere, suppono intentionem Concilii fuisse damnare errorem hæreticorum huius temporis, et præsertim Calvinii. Ita docent Doctores catholici, qui post Concilium contra hæreticos scripserunt, et ipsemet Calvinus ita sentit in Antidoto apud Ruard., art. 7, et ex actis ejusdem Concilii quæ Romæ habentur, mihi compertum est. Item ex fine

Concilii, qui præcipue fuit Ecclesiam defendere et purgare a novis hæresibus, præsertim in materia de justificatione, quam in illa sessione tractat. Unde cum in primo et secundo canone hæresim Pelagii brevissime damnasset, et tertium canonem contra Semipelagianos statuisset, statim in quarto damnat Calvinum et sequaces, quod in cæteris prosequitur. Ideoque, si attente expendantur verba canonis, cum proportionem respondent verbis Calvinii ad damnanda illa. Nam quia ille dicebat post divinam motionem *non habere liberum arbitrium suas partes in agendo,* Concilium definit, *vere agere liberum arbitrium;* et quia ille negabat nos operari, Concilium definit hominem cooperari; ac denique, quia ille dicebat *motionem Dei nobis necessitatem inferre,* Concilium definit liberum arbitrium, motum et excitatum, posse dissentire, si velit. Ex quibus manifeste constat Concilium uti omnibus his verbis in sensu contradictorio ad verba Calvinii; itaque loquitur de actione morali, de libera cooperatione, et de vera potestate resistendi, alias nihil ageret, neque hæreticorum sensum damnaret.

6. *Illatio.* — *Probatur.* — Ex quibus infero non fuisse mentem Concilii tantum definire, unum vel aliud auxilium non inferre necessitatem voluntati ad consentiendum, sed simpliciter docere ac definire voluisse consensum nostrum, licet cum gratia fiat, libere fieri, ac proinde nec ab uno, vel ab alio præveniente auxilio, neque ab omnibus simul, quæ ad illum necessaria sunt, vel quoquo modo sua sola virtute præmoveat, necessitari voluntatem ad consensum. Probatur primo, quia absolute definit consensum libere fieri, ut ex dictis c. 5, et can. 4, atque etiam 5, est manifestum; ergo definit a nullo tali auxilio neque a tota collectione auxiliorum necessitari voluntatem, quia hoc totum necessarium est ad libertatem actus. Secundo probatur ex intentione Concilii Tridentini jam dicta. Nam Calvinus non dixit quodlibet auxilium gratiæ necessitare voluntatem, sed quoddam peculiare, quod omnibus et solis consentientibus datur, ut supra c. 4 retulimus, et ex Ruardo, a. 7, versus finem, et Bellarmino, ac aliis intelligimus; ergo oportuit ut Concilium contradictoriam veritatem definiret, nimirum, auxilium nullave gratiæ auxilia ita præmoveat voluntatem, ut tollant libertatem; alias Calvinus et Concilium subcontraria tantum docuissent quæ possunt esse simul vera, et sic Concilium nihil effecisset. Tertio, quia ad doctrinam de libero arbitrio, per se ac maxi-

me refert quod libertas in ipso usu auxiliorum gratiæ integra et illæsa servetur; nam, si per aliquod auxilium prævium usus liber tolleretur, parum ad dogmata fidei referret, quod per hoc vel illud auxilium id fieret; Concilium autem hoc dogma definire voluit, et quidquid ad illud necessarium est; ergo non tantum definit non necessitari voluntatem per unum vel aliud auxilium, sed simpliciter libere consentire, ac proinde a nullo auxilio, sive illud sit unum, sive plura, necessitari.

7. *Asseritur et probatur Concilium loqui de auxilio sufficiente, et absolute de præveniente, nec minus de auxilio efficaci quam de sufficiente.* — Hoc supposito, facile admitto et concedo Concilium tantum docere in dicto cap. 5 voluntatem a Deo excitatam ita agere præbendo consensum, *ut possit divinam inspirationem et illuminationem abjicere.* Dico tamen inde non intelligi ipsum loqui de auxilio tantum sufficiente, sed absolute de auxilio præveniente, quodcumque illud sit, et sive habeat effectum, sive non habeat, atque adeo non minus loqui de auxilio efficaci quam de sufficiente. Ut hoc autem probem ex eisdem Concilii verbis, prius sumo ipsum non agnovisse aliam prævenientem gratiam necessariam ad liberam conversionem, præter vocationem, excitationem, illuminationem et inspirationem, quæ omnia sub nomine gratiæ excitantis comprehenduntur, ut lib. 3 explicatum est. Quod ergo aliam præmotionem non agnoverit, probatur primo ex taciturnitate; si enim alia esset necessaria, illam non præterisset, alioqui insufficientem doctrinam tradidisset. Secundo, ac maxime, quia non recte inde probasset hominem libere assentire vocationi seu inspirationi, ex eo quod illam abjicere potest; illa enim causalis nota, *quippe qui, vim habet rationis ac probationis;* esset autem invalida, si alia præmotio esset necessaria. Diceret enim Calvinus quod, licet posset abjicere inspirationem, non vero aliam motionem, et ideo non libere consentire. Ut ergo processus Concilii sit solidus, oportet ut intellexerit in præcedenti doctrina, quam in eodem capite tradiderat, præmotionem gratiæ necessariam comprehendisse, ac proinde eum subdit: *Quippe qui et illam abjicere possit,* perinde fuisse ac si diceret: *Quippe qui omnem præmotionem necessariam ad consensum abjicere potest.*

8. Tertio probatur, quia etiam ipse Calvinus ita intellexit Concilium Tridentinum, et ideo sentit illud sibi contrarium, et deinde il-

lud impugnare conatus est. Ut enim Ruardus refert, prius in hoc reprehendit Patres Concilii Tridentini, quod docuerint *gratia Dei nos præparari ad percipiendam justitiam, et quod huic gratiæ partes assignant excitandi, et adjuvandi, ut ipsi libere cooperemur,* quæ revera est doctrina Concilii, contra quam impius hæreticus prius objicit Scripturæ testimonia capite superiori tractata; et postea sic inquit: *In eo hallucinantur, quod motum nobis offerri somniant qui mediam electionem nobis relinquat, nihil autem de efficacia illa cogitant, qua cor hominis renovatur, ut ex pravo fiat rectum.* Intellexit ergo Calvinus in eo sibi esse contrarium Concilium Tridentinum, quod, nulla habita ratione efficaciæ motionis prævenientis necessitatis, quam ipse confinxit, solam gratiam excitantem et adjuvantem docuit esse necessarias. In quo certe non erravit ille hæreticus, quia non ignoravit voluisse Concilium, ipsum ejusque doctrinam damnare, et ideo solam præviam inspirationem posuisse, cui voluntas possit dissentire si velit, et hoc ad libertatem actus sufficere docuisse, quod ille hæreticus refutare non potuit, nisi admittendo aliam motionem necessitantem, quam *divinam efficaciam, et efficaciter efficientem* vocat; illam ergo motionem et omnem aliam tollentem potestatem dissentendi Concilium reprobare voluit. Male vero et subdole hæreticus ille inde colligit, absolute negasse Concilium efficaciam illam Dei, qua cor hominis renovatur: nam si sermo sit de renovatione habituali, illam postea docuit in c. 7; si de actuali, illam quidem posuit, non tamen prævenientem per motionem aliam a gratia excitante distinctam, et mediam inter inspirationem et consensum, sed per cooperantem et adjuvantem physice, et per veram efficientiam ad ipsum consensum, ut sæpe explicatum est.

9. *Concluditur Concilium loqui simul de gratia efficaci, et probatur.* — Hinc ergo concludo Concilium loqui etiam de gratia efficaci, seu, quod perinde est, de excitatione, etiam quando suum consequitur effectum. Probatur primo ex verbis, sic enim ait: *Ut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat inspirationem illam recipiens.* Ubi non dicit: *Neque homo nihil omnino possit agere;* sed dicit: *Nihil omnino agat;* quando autem homo aliquid agit, tactus profecto Dei efficax est; ergo loquitur Concilium etiam de tactu, seu vocatione efficaci. Secundo, quia Concilium non docet actum esse liberum quando potest fieri,

sed quando fit, vel (quod perinde est) non tantum docet hominem esse liberum ad agendum, quando potest agere, sed etiam cum agit, et recipit inspirationem Dei; tunc autem inspiratio est efficax; ergo loquitur Concilium etiam de vocatione efficaci. Tertio, est hoc necessarium ad efficaciam et veritatem doctrinæ; nam, ut notavi, universalis est, et continet hanc generalem definitionem, *consensum supernaturalem voluntatis, cum datur, esse liberum, non obstante influxu, et motione auxiliorum gratiæ*; ergo necesse est ut Concilium etiam auxilium efficax comprehendat, quodcumque illud sit, alioqui diminuta esset doctrina, et indebite ac sine consequenti fundamento proposita, et contra hæreticos inefficax esset. Quarto, quia Calvinus de solo auxilio efficaci dixit inferre necessitatem voluntati; ergo oportet ut Concilium etiam illud comprehendat, cum negat inferre necessitatem, alioqui non contradiceret Calvino; sed istius error posset cum definitione Concilii consistere. Quocirca, sicut ex illa Concilii definitione omnes Catholici colligunt contra Calvinum non esse necessarium ad consensum, neque dari auxilium efficax necessitans voluntatem; ita nos, contra quoscumque contrarium asserentes, inferimus auxilium efficax, quodcumque illud sit, non auferre potestatem abjiciendi illud, seu non consentiendi stante illo. Ex quo ulterius colligimus ex mente Concilii auxilium efficax non esse prædeterminans, quia auxilium physice prædeterminans non relinquit potestatem dissentendi, cum impossibile sit, illo posito, non consentire.

10. *Probatur etiam auxilium efficaciæ et præveniens non esse aliquid distinctum a vocatione.* — Atque hinc possumus ex hoc loco Concilii directe probare auxilium efficax, etiam præveniens, non esse aliquid distinctum a vocatione, ac proinde esse non posse nisi vocationem congruam. Primo quidem, argumento facto, quod Concilium, ex eo quod voluntas potest abjicere inspirationem cui consensit, infert libere consentire, quæ consecutio non esset bona nisi supponeret non dari aliam præviam motionem præter inspirationem; ergo necesse est ut in ipsamet vocatione, quatenus per inspirationem datur, quæ effectum habeat, licet resisti possit, gratiam efficacem prævenientem ponat. Secundo, quia motio per solam excitationem vel illuminationem non potest prædeterminare physice voluntatem, ut in superioribus ostensum est; sed Concilium non ponit alium modum præmovendi volun-

tatem, nisi per illuminationem et inspirationem, ut ostensum est; ergo non potuit ponere auxilium efficax in motione physice prædeterminante; ergo in vocatione congrua, ut a sufficienti partium enumeratione ex communi consensu proposuimus.

11. *Respondetur supra factæ objectioni.* — Neque contra hoc obstat quod supra objicitur, quia Concilium nunquam dixit nos posse resistere auxilio efficaci vel adjuvanti; nam, licet de efficaci hoc non dixerit per illa verba expressa, satis tamen id dixit, cum docuit eum qui aliquid agit recipiens inspirationem posse dissentire; quia, qui recipit inspirationem, gratiam efficacem habet; ergo habet etiam potestatem resistendi tali gratiæ, quatenus præveniens est. De adjuvante vero nihil speciale in hoc dixit Concilium, quia necessarium non erat. Aut enim est sermo de gratia actu adjuvante, et illa, ut sic, non est gratia præmovens, sed cooperans, quæ intrinsece includit liberum consensum voluntatis. Ideoque, eo ipso quod voluntas habet potestatem abjiciendi inspirationem, non consentiendi illi, habet etiam potestatem non admittendi, nec recipiendi in se auxilium adjuvans cooperans, non per modum resistantiæ, quia tale auxilium nondum est, sed impediendo ut actu detur, utique per modum negativum, non cooperando, seu non ponendo conditionem necessariam, sub qua tale auxilium offertur. Si vero sit sermo de gratia adjuvante solum per modum principii, vel ut oblata in actu primo, sic eadem est ratio de illa quæ de omni motione præveniente, seu excitante, quia vel illa gratia adjuvans non est distincta ab excitante, ut multi volunt, et ideo æque potest illi resisti, vel est aliquis habitus, vel aliquid oblatum per modum habitus, et sic minus potest necessitare vel prædeterminare omnino voluntatem quoad exercitium.

CAPUT XXXIV.

ALTERI EVASIONI OCCURRITUR.

1. *Scopus et sensus capituli.* — Secunda responsio esse solet, Concilium quidem locutum esse de auxilio efficaci; tamen cum dixit liberum arbitrium motum et excitatum posse dissentire si velit, locutum fuisse de potestate in sensu diviso, non in sensu composito, ita ut sententia Concilii sit, cum illa motione Dei manere et conservari in voluntate potestatem dissentendi, non tamen potestatem illam extendi ad componendum dissensum cum tali

motione, itaque (ut aiunt) est simultas potestatis dissensus cum eodem auxilio, et ideo non de hac sed de priori locutum fuisse Concilium. Fundamentum proprium istorum auctorum est, quia putant doctrinam Concilii in sensu composito intellectam esse falsam. Ut autem in Concilio videantur aliquod habere fundamentum, ad regulas dialecticorum recurrunt, arguentes quod propositiones Concilii non habent formam modalis compositæ, ut late prosequitur P. Alvarez, qui etiam addit aliam probationem, quia sensus divisus sufficit ad intentionem Concilii; nam per illum salvatur sufficienter efficacitas gratiæ, et liberum arbitrium: primum per se patet; secundum probat, quia potestas in sensu diviso sufficit, ut in eodem instanti in quo recipit voluntas auxilium efficax, maneat in eo libera et expedita facultas, qua potest non operari, si velit.

2. Tertio, sumo aliam probationem ex eodem, disput. 93, quia Concilium Tridentinum nunquam dixit voluntatem a Deo motam posse resistere, sed posse dissentire, quia nimirum verbum *resistendi* aperte includit sensum compositum, quem non includit verbum *dissentendi*. Nam verbum *resistendi* importat quamdam renitentiam respectu auxilii, vel voluntatis Dei moventis actu; verbum autem *dissentendi* illam non dicit; ergo signum est voluisse Concilium loqui in sensu diviso, et non in composito. Quarto, contra nos ad hominem objiciunt, quia nos cogimur ita explicare Concilium quoad auxilium simultaneum, nam etiam illo posito voluntas libere operatur; ergo potest dissentire, si velit; non potest autem in sensu composito, seu potestate simultatis, componendo dissensum cum tali auxilio simultaneo, ut per se notum est; ergo debet exponi Concilium in sensu diviso. Item ad hominem contra me argumentatur Ledesma, quia ego assero auxilium præveniens posse moraliter prædeterminare voluntatem, ita ut infallibiliter sequatur actio; tunc ergo non potest voluntas dissentire componendo dissensum cum tali auxilio, alias non esset infallibilis consecutio consensus a tali auxilio; ergo solum potest dissentire in sensu diviso; ergo hoc satis est ad libertatem, ac proinde ita est intelligendum Concilium. Item objicit Alvarez, quia nos dicimus esse impossibile dissensum componi cum vocatione congrua, et ideo non posse qui illam habent, dissentire in sensu composito, sed tantum in diviso.

3. *Assertio auctoris de potestate simultatis.* — *Probatur assertio.* — Nihilominus assero

negari non posse quin Concilium in sensu composito loquatur de potestate simultatis, ita ut, non obstante motione illa antecedente, de qua loquitur Concilium nomine *vocationis et inspirationis*, in potestate voluntatis sit, illa motione perseverante, et actu instigante, non consentire, sed illam a se abjicere. Hanc sententiam ex patribus Dominicanis tenuit Joannes Vincentius, supra citatus, et ex his qui eos in sententia de prædeterminatione sequuntur, Cabrera, 3 part., q. 18, disput. 2, § 8, num. 313 et sequentibus. Eandem insinuat Vega, lib. 4 in Trident., cap. 2, in fine; et Soto, libr. 1 de Natur. et Grat., cap. 16. Probatur primo, quia Concilium loquitur de potestate ad dissentendum non obstante motione, quæ ad libertatem sufficiat; sed illa potestas in sensu diviso respectu talis motionis non sufficit ad libertatem; ergo. Major certa est, nam, ut dixi, Concilium docet hominem libere operari, et ut hoc probet, dicit: *Quippe qui et illam abjicere potest*; ergo loquitur de posse per potestatem sufficientem ad usum libertatis. Minor autem probanda est ex dictis in prolegomeno 1. Nam Concilium loquitur de motione præveniente, quæ est suppositio antecedens usum libertatis; talis enim est vocatio et inspiratio, de qua loquitur, ut ipsemet definit in can. 3; unde est ex conditionibus prærequisitis, ut homo possit supernaturaliter consentire. In dicto autem prolegomeno, ostensum est potestatem ad non agendum, posita tali antecedente suppositione, debere esse ad componendam cum illa carentiam actus, quia potestas in solo sensu diviso ad non agendum, positis omnibus requisitis ad agendum, communis est potentiis etiam naturaliter agentibus, et non libere; ergo.

4. *Arguitur secundo.* — Unde argumentor secundo, quia etiam Calvinus non negaret potestatem dissentendi in sensu diviso, etiamsi motionem necessitantem poneret. Reperio quidem in P. Alvarez, ad confirmationem quinti argumenti, Calvinum arbitrari esse, cum auxilio efficaci non posse simul esse potentiam ad oppositum actum, nec facultatem, qua homo possit dissentire, si velit, utique etiam in sensu diviso: nam in hoc sensu aperte loquitur, id enim ait negasse Calvinum quod ipse affirmat. Non allegat autem ubi in Calvino hoc legerit, nec aliquem qui de Calvino hoc referat. Nec video quomodo in mentem hominis cadere potuerit auxilium efficax ita mutare naturam voluntatis, et determinare illam ad consensum, ut non maneat in illa potestas ad